UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Basilea Sacra Sive Episcopatvs Et Episcoporvm Basileensivm Origo Ac Series

Sudan, Claudius

Brvntrvti, 1658

60. Fridericus III. Ze Rhein.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11463

Visual Library

Anno Christi ob Decretum Concilij sess. 21. sesquianno, consuetis in Confirmatione beneficiorum Annatis, hoc est, annuis Episcopatus sui reditibus caruisset.

FRIDERICVS II.

1437. Ze Rhein.

Basileensis Episcopus.

LX.

NVmeratis Canonicorum suffragiis, haud multò inferior Friderico Burcardus à Rathsamhausen, dubiam propè fecit electionem: sed inclinatus Patrum Concilij votis & rogatu, destitit prensare dignitatem, quam viciniore gradu jam propè tenebat Fridericus, ab Eugenio postea 2. Martij 1437. confirmatus. Circa id ipsum tempus, Basileam appulit Græcorum Legatus Ioannes Dissipatus, & expositis palam

lam, quæ in mandatis habebat, aliquam Italiæ Civitatem Patrum Concilio, aut suæ nationi ob minorem longinquitatem accommodatiorē designari postulat. Auditus est, ut par erat, patienter ab omnibus, at studio recrudescentium factionum diversissimo. Percepta Eugenij Pontificis voluntate, qui aderant legati, etiam sponte sua Dissipati postulatis annuebant. Ceteri ferè loci mutationem nequaquam ferebant. En, novuum denuò Patres inter & Eugenium dissidium. Ille, ne sua ulteriùs vilescceret, & contemptui manifesto exponeretur authoritas, bullam expedit 18. Septemb. quâ Patribus, Ferrariam ad Synodum Oecumenicam quantocyus se conferant, severè mandat; ac, nisi refractarias cervices sacræ sedi inflectant, solennes diras imprecatur, & suis omnes exuit beneficiis. Schis-

Anno Christi 1437.

Anno Christo 1437. matici Pontificias aspernati diras, ut inanes minas, in nuperum relapsi crimen, Pontificem minaciter citant, accusant, damnant, officio interdicunt. Indoluit orbis Christianus, tot præstantissima membra à suo revelli capite, nobilissimúmque Ecclesiæ corpus, superbis huiusmodi seditionibus turpiter adeo mutilari. Basileâ discedunt, qui sanioris mentis erant & jubentem Christi Vicarium absque cunctatione venerabundi sequebantur. Et Ioannes quidem Palæologus ac Græcorum Patriarcha Ferrariam perveniunt.

Sigismundus Imperator tantis Ecclesiæ malis & calamitatibus immoritur, ad quietem Dei beneficio maturè vocatus, ne plures turbas usque ingruentes suis mœstus spectaret occulis in communi Ecclesiæ luctu. Demorruo inferias solvit Baleæ funeraria pompâ visendus Patrum

trum Cœtus. Francofurti verò habita Comitia Albertum II. Austrium Sigismundi generum Imperij clavo adhibent. *Anno Christi* 1437.

Vindictam Numinis luculentam hoc anno sensit Basilea, famem, pestémque, irrogatam nequissimæ factiosorum schismaticorum perduellioni; quæ pœnæ gravitas, & culpæ tantæ participes inprimis, ac insuper insontes ipsos necessitate quadam involueret. Sæviente igitur contagiosa luc efferuntur multi, multi ad puriora domicilia & aeris salubritatem dilabuntur. Plus animi, seu potiùs audacis temeritatis fuit illis, qui vitam citiùs, quàm pertinaciam suam ponere coniuraverant. Hi triginta numero, Episcopi 12 quos inter Fridericus Basileensis, Abbates reliqui, aut scientiarum laude conspicui Doctores, secuti Cardinalem Arelatensem Concilia-

Anno Christi 1457. buli Præsidem, frontem perfricant, & excussa quâ in Eugenium obstringebantur, veneratione, Amedeum Sabaudiæ Ducem Pseudo-Papam sibi præficiunt, Felicis V. nomine nuncupatum, Erat hic Amedeus Sabaudiæ Comitum primus, Ducis titulo in Synodo Constantiensi condecoratus. Thoro legitimo copulatus liberos ex Margarita Philippi Burgundiæ Ducis filia susceperat, antequam solitariæ quietis desiderio illectus Cœnobium Rippalense ad oram Lemanni Lacus è regione Lausannæ, opportunum suæ solitudini locum accommodâsset. Mortuâ igitur coniuge perquam religiosè vivens, sacris necdum initiatus, visus est è multis unus, qui capitis dignitatem in monstroso Concilio sustinere posset maximè, & sanguinis & sanctitatis pervulgatæ quodam fascino. Mittuntur hunc in finem

finem legati, Ludovicus Cardinalis Arelatensis, Fridericus Episcopus Basileensis, plures alij Episcopi, Abbates & Doctores. Amedeum nil tale cogitantem occupant, Patrum in ipsum conspirationem explicant, apicem honorum supremum deferunt minimè reluctanti. Prodit ille ex suis obscuritatibus ad publicam lucem Felicis V. nomen usurpans; sive, verius in scenam theatralem brevi ludo proditurus infelix Pontifex. Hæc dum fierent Basileæ, moritur Albertus Imperator in Hungaria 27. Octobr. anno 1439. succedit Fridericus III. Ernesti Archiducis Austriæ filius, & Imperij decora Aquisgrani accipit. Anno 1441. postquam annus prior celebris posteris fuit arte Typographica, quam excogitavit Ioannes Gensfleisch, aliàs Gutenberg, Argentinensis, quanquam jam ante Christum natum

Anno Christi 1437.

Anno 87 ... 1437. apud Sinas in usu fuisse, teste Nicolao Trigautio perhibeatur lib. 1. c. 4. Exped. Chin. Nec minore pompa Felix Antipapa, ipsa Prodromo Christi sacra die, cum Comite Geneuensi Philippo filio suo, & splendida Sabaudiæ Nobilium caterva, Basileam invectus, acclamatione festiva à Civibus & Prælatis obviam effusis excipitur. Quibus intellectis Eugenius, in infligenda pœna, dum Patres in culpa, persistit, è fidelium consortio, sacrorúmque communione rebelles exscindit; Concilij decreta in eligendo Felice, ut inane irritum, & contra Deum attentatum opus improbat; Felicis & asseclarum impiè patrata facinora solenni formula damnat, & execratur. Felix in profundum fanaticæ dignitatis chaos prolapsus, contemnit, verbosam Eugenij punitionem ridet, & ipse (pantomimum diceres,

Apo-

Apostolici fastigij) Purpuratos Patres legit, Ecclesiastica confert munera, officia distribuit. Romam denique alteram se credit Basilea, sed eo Roma inferior, quòd Cœlum huiusmodi turbulentis novitatibus penitus infensum haberet. *Anno Christi*

Anno 1442. Basileenses, Solodorinis & Bernensibus novo fœderis ad 20 annos durabilis junguntur vinculo. Tigurinorum amicitiam non respuunt Austriaci, præsente Friderico Imperatore, qui Tiguro per Ergoviam, Burgundiámque, delatus. Basileam, cum Felice quidem longa confabulatione egit: verùm, nec Felix, nec Acta Concilij Friderico placuerunt. Eo reverso Constantiam 16. Novembris, Antipapa die sequenti cum sectatoribus suis, quatuor Cardinalibus, aliisque Patribus Basileá Lausannam abscedit. 1442.

Anno Christi 1443.

Anno 1443. Helvetij Tigurinis infesti bellum inferunt, vicos exurunt, agrum Tigurinum direptionibus vexant & violant. Inde Basileenses Liuffenburgum obsidione cingunt. Verùm, Episcopi Basileensis aliorúmque Principum studio, delinitis utrimq; animis, oppugnatione intermissâ, ad sua miles revertitur.

Sed necdum per eam pacem Tigurinis factum satis: ægriebant adhuc animi, & vindictâ flagrabant in Helvetios, posita ante oculos expilatæ ditionis suæ vastitate. Sollicitant igitur ad opem sibi ferendam Austriacos, quos scirent jam antè illi genti suboffensos. Sua Tigurinis consilia succedunt. Sigismundus Archidux transmissis clam litteris ad belli contra Helvetios redordiendi societatem vocat socerum suum Galliæ Regem Carolum VII. Regis Gallorúmq; animos ad bella prom-

promptos & expeditos permovere, operosum non fuit: primis exorati precibus, triginta equitum millia convolant. Cum his in spem rei gerendæ & opimæ prædæ Rex, filiúsque, Ludovicus IX. postea regni successor, Basileam rectà petit, reliquam inde invasurus Helvetiam. Ubi rumor increbuit adventare Gallos tanto exercitu, quem ante Ioannes Comes in Armignac (is est Tolosanæ Provinciæ Comitatus) copiarum Præfectus duxerat, trepidi, credo, agrestes & è vulgo passim, jam adesse præ foribus clamitabant formidandos *Armen-iâcken*, corruptô lepidè à Germanis Gallico vocabulo *Armignac*. Et certè hi *Armeniâcken* cruentam, Paulo Æmilio teste, Helvetiis cladem non procul Basileâ intulerunt, deletis illorum ad internecionem quatuor millibus. Anno Christi 1443.

Ea

Anno Christi 1443. Ea victoriâ ovantes Gallos, omissis Helvetiæ montibus, fertilis Alsatiæ planities, ad opimiores invitat prædas. Conversо igitur cursu in amœnissimam ruunt illi regionem, legunt id omne cui fecit pretium militaris cupiditas, trophæumque victoriæ suæ statuunt, læti patriam revisuri. Liberati Gallorum discessu Basileenses, incentores belli Austriacos Nobiles & Præfectos, novo ipsi adoriri bello statuunt, quorum scilicet ope miles exterus in patriæ excidium & Helvetiæ ruinam evocatus fuisset. Intra verba non steterunt minæ, sævitur armis hostiliter, volant signa per Alsatiam & Sundgoiam. Sed ira nunquam vehementior, quàm adversus pagos, villas, tuguria & Cœnobia, omni præsidio ad vim sustinendam destituta: hæc enim implacabiliter incendio concremavit. Ita fieri amat, ut agrestis

grestis ac imbellis turba luat, ante alios, quod peccauit tutis recepta locis potentiorum licentia. Post occupatam Rheinfeldam, exustum Cœnobium Monialium in Othmarsheim, quo loco Neronis & Galbæ successor Otho, Marti templum olim extruxisse fertur: unde & nomen inditum *Oth-mars-heim*. Anno Christi

Anno 1446. Ludovicus Palatinus Rheni, Elector Moguntinus, aliique Principes, auditis utriusque partis legatis pacem conciliant. Redintegratâ pace, mox reliquias Pseudo-Synodi Basileensis, quam bellum, fames, ac pestis ad piorum vota disturbaverat, Antipapa Felix colligere toto virium nisu laborat. Sed cùm anno 1447. 23. Februarij, Eugenio mortalibus erepto suffectus legitimè fuisset Nicolaus V. Fridericus, sparsis quaquaversum litteris, Nicolaum promulgat, eundémque, mandat, 1446.

Anno Christi 1446. dat, gravissima pœnarum commination refractariis indictâ, omnes unà secum & Imperij Principibus debita submissione prosequantur. Edicit sigillatim Basileensibus, sapiant idem, Felicem imposterum & Concilium adulteratum quantocyus detestentur. Aegrè admodum parebant Basileenses, & quàm poterant lentissimè Imperatorium decretum exequi studebant. Morosâ hac tergiversatione perspectâ Fridericus urget iterum, iterúmque mentem suam inculcat anno 1448. ineunte Esuriali verno tempore, fratrique Alberto simul imperat, ni pareant confestim Episcopus ac cives, omni commeatu ipsos intercludat. Denique, cum nec sic proficeret quidquam, contumaces ad supremum Imperij tribunal citat. In Stiriam legatos suos ire jubent Episcopus & Civitas, ne totum adversus se

se insurgeret Imperium. Episcopus quidem Ioannem Gemminger sum in Criminalibus judiciis Officialem, (ut vocant) Civitas Hartmannum legationi præficit. Eam demum illi ab Imperatore tulerunt sententiam: ne quem Prælatorum obvelato quocumq; prætextu Concilij, in urbe delitescere sinerent; sed quamprimum ipsos eliminarent. Acceptâ mitiore, quàm sperabant, sententiâ Cives, nulla mora interpositâ, ex urbe exesse jubent, & Lausannam versùs honorificè dimittunt seditiosa capita. Lausannæ pauci, qui supererant, Antistites, ne Concilij nomen exspiraret, impiatum cœtum adhuc cogere pergunt, simúlque diris devoti conferunt aliquoties, donec Felix anno sequenti 1449. obortâ luce resipiscentiam seriò cogitat, obnunciare scilicet acceptato, vel retento per immaturam impru-

Anno Christi 1446

den-

Anno Christi 1440.

dentémque levitatem honoris titulo, quem in alio jam revereretur totus penè orbis, ad exemplum Cæsaris, Regum Franciæ, Angliæ & Siciliæ compositus. Permotus itaque restituendæ facile pacis studio, VII. Idus Aprilis, post tot tantósque tumultus per se excitatos, receptui canit, & in pristinum Rippalienſem secessum se rursùs abdit, galero Cardinalis, Nicolai dono contentus, ac legati titulo in Transalpinas Provincias & Episcopatus Lausannæ, Basileæ, Argentinæ Constantiæ, Curiæ, Seduni, post aliquot annorum vitam emendatione ac pietate religiosissimâ transactam sanctè obiit. Postquam ista tranquillitas Ecclesiæ tot calamitatibus empta fuerat, Ioannes Gemminger Romam ablegatus ut Episcopi & urbis verbis obedientiam Nicolao Pontifici in media Purpuratorem Patrum corona

jura-

juraret, quia mandata sibi iniuncta prætergressus esse visus est, post reditum suum Byrseci primùm, ac Basileæ deinde in carcerem missus est. Anno Chr. 1448

Anno 1448. 22. Octob. Guilielmus à Grieneberg, quorundam nobilium operâ adiutus Rheinfeldam invadit. Hinc iterum exsuscitata pagorum incendia & mutuæ cum Basileensibus clades, quibus acceptis relatísque, Pax iterum suas obivit vices, composita Brisaci, anno 1449. sub veris initium. Basileensis Episcopi Friderici & Iacobi Badensis Marchionis operâ, in has videlicet conditiones: ut Rheinfelda sacramentum præstaret Austriacis, & Basileenses Alberto Archiduci quatuor florenorum millia ad Divi Ioannis, & viginti duo millia ad D. Matthæi, nullo exacto censu mutua concederent, fide integrâ post certos temporis limites restituenda. 1448.

Anno Christi

Anno 1451. die 5. Ian. Fridericus Basileensis Episcopus è vivis sublatus sedem alteri vacuam reliquit, in Cathedrali templo humatus.

ARNOLDVS
à Rothberg, SS. Theol. Doctor.

1451.

Basileensis Episcopus.
LXI.

ARnoldū à Rothberg Canonicorum Basileensium jam ante Decurionem, 19. Ianuarij anni 1451. legitimis suffragiis ad Infulam vocatum ad ferias Pentecostes consecrârunt Episcopi tres, Constantiensis, Argentoratensis, & Vormatiensis. Petierat à Nicolao V. sibi jus indulgeri exigendi pecunias pro diplomatico signatorio & Episcopali tabulario, adiunctis etiam vacantium beneficiorum per Diœcesin primitiis, quæ